



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. V. Quæ actiones homini sint, tum cum Plantis, tum etiam cu[m]  
Brutis animantibus communes, & quod sit earum in homine principium  
siue causa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

& nuncupata. Sed ne videamur sine magnis authoribus ita sentire, visum est operæpretium ad nostræ huius sententiæ confirmationē, præclarissimum Gregorij Nissenii testimonium afferre. Ille igitur in libro de Opificio hominis capite quintodecimo sic disertè scribit. Τῆ δὲ θεωρίας πρὸς ἐκεῖνο ὅτι οὐχὶ μέρη τινὲ ἀπὸ ἐν ἡμῖν ὄντος ἀεὶ ἔχεται, ἀλλ' ἐπιστῆς ἐν πάσι, καὶ διὰ πάντων ὄσιν, ἅτ' ἐξωθεν ἀεὶ λαμβάνων, ἐστὶ ἐνδοθεν κρατέμενος. Ἡ δὲ τὸ νῦν πρὸς τὸ σωματικὸν κοινωνία, ἀφραστὸν τε καὶ ἀνιπνόητον τὴν συνάφειαν ἔχει. Denique idem negat eam verè, in homine præsertim, ψυχὴν & animam dici, quæ intelligentiæ & rationis vi prædita non est: sed tantum esse τινὰ ἐνέργειαν ζωτικὴν, id est, viuendi facultatem quandam appellandam. Atque ex his apparet, quid de superius proposita quæstione sit sentiendum.



## CAP. V.

Quæ actiones homini sint, tum cum Plantis, tum etiam cū Brutis animantibus communes, & quod sit earum in homine principium siue causa.

**Q**UANTUM VERA & præclara est illa Dauidis Psal. 8. sententia, quæ infinitam quandam inter hominē & reliquas omnes huius aspectabilis Mundi creaturas differentiam esse docet, tamen siue qualis nunc est, siue qualis primùm à Deo conditus erat homo, spectetur à nobis, actiones quasdam illi fuisse communes tum cum plantis ipsis, quæ è terra nascuntur: tum etiam cum

brutis animantibus, quæ ratione carent, sanè animaduertemus. Verè igitur de homine dictum est, *Minuisti eum paululum ab Angelis, gloria & decore coronaſti eum. Dominari feciſti eum operibus manuum tuarum, ò Iehouah, omnia poſuiſti ſub pedibus eius: Pecudes, & boues, uniuersa ipſa, & piſces maris, & quicquid tranſit ſemitas maris.* Quæ egregia hominis dignitas, quàmquam Heb. 2. v. 6. & 17. propriè Domino noſtro Ieſu Chriſto homini tribuitur, eam tamen ad omnes homines, propter naturæ noſtræ humanæ aſſumptionem à Dei filio factam & cognationem, quæ nobis ex hac cum eo intercedit, diffundi dubitari non poteſt. Nam homo, etiam qualis hodie eſt, Dei imago, vel vt loquitur Lactantius, ſimulacrum rectè dicitur, etſi propter peccatum in multis nõ tantum obſcurata, ſed etiã deleta fuit prima illa natũuaque diuinæ naturæ delineatio, quæ in humana natura extabat à Deo inſculpta: non eſt tamẽ prorfus deperdita, cum certiffimum & maniſteſtiffimum inter homines & pecudes diſcrimen etiamnum poſt peccatum in hominibus remaneat: & excellens illa dignitas, quam Pſal. ille commemorat, fuit à Deo etiam poſt peccatum hominis confirmata Genef. 6. v. 2. Ex quo fit vt homo & Imperator & Dominus mundi rectè nominetur, & cæterarum creaturarum comparatione animal quoque ſanctum, quemadmodum ait Lacta. lib. 6. cap. 20. cuius ſententia Genef. 9. v. 6. apertè probatur. Nec ab hac ſententia noſtra diſſident Græci Theologi, imprimisque Gregorius Niſſenus cap. 2. & 3. de Opificio hominis. Quanquam his tot tantisque priuilegijs & Dei

& Dei donis ad suum exitium impij & infideles abutuntur, quia Deum authorem suum minime illi colunt & agnoscunt. Itaque profani & veritatis luce carentes homines, ipso naturæ sensu informati, omnia quæ insunt in hoc mundo hominis causa condita esse dixerunt, quemadmodum Platonici: hominem autem ipsum Dei colendi gratia docent extitisse. Peripatetici verò quanquam non fuerunt tam diuini, præclare tamen à suo præceptore Aristotele dictum sequuntur & retinent. Sic enim ille lib. 6. cap. 7. *Ἡθικῶν Νικομαχ. Α' εἰσον τῆς ἐν κόσμῳ, Ἀνθρώπος ἐστὶ.* Quod autem idem addit, *Τὸ δ' ἀνθρώπου ἄλλα πολὺ θεϊότερα τῆ φύσιν ὅτι τὰ φανερώτατά γε, ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν,* falsum est & ex superstitione gentilitatis religione sumptum. Astra enim & sydera homine digniora & diuiniora censet, quia sunt superiori loco collocata, quæ Dominus ipse tanquam addictos homini famulos esse voluit, ut est Deuter. 4. v. 19. Tanta verò dignitate præ cæteris rebus omnibus homo à Deo donatus, habet tamen, quemadmodum diximus, quasdam cum plantis, quasdam cum brutis animantibus actiones communes: cuius rei ratio est, ut mihi quidem videtur, ea quam doctissimus Gregorius Nissenus in libro de O-pific. hominis capite secundo his verbis affert. *Διὰ τὸτο διπλᾶς αὐτῷ τῆ κατασκευῆς ἀφορμᾶς καταβάλλεται, τῷ γινῶ τὸ θεῖον καταμίξας ἵνα δι' ἀμφοτέρων συγγνώστῃ καὶ οὐκείως αὐτῶς ἐλαττέραν ἐπόλαιον εἶη, τὸ θεῖον δὲ διὰ τῆς θεϊοτέρας φύσεως τῆς δὲ κατὰ γῆν ἀγαθῶν διὰ τῆς ὁμογενῆς αἰσθησεως ἐπολαύων.* id est, ut Iohannes Lenunc. conuertit. *Propterea duabus ut re-*

bus hominis opificium constaret, fecit, commisit nimirum diuinis ac terrenis, ut esse tam Dei, quam terrestrium rerum fruitionem nature sua consentaneam ac propriam statueret: Deoque per naturam diuinorem: Bonis autem terrenis per sensum, qui eiusdem esset generis, fruereur. Idem cap. 18. eiusdem operis repetit & illustrat. Deus enim hominem condidit non Angelum, id est, profus corpore carentem: non etiam *πνευματικόν*, qualis post resurrectionem futurus est *πνευμα ζωοποιόν* ut loquitur Paulus 1. Corinth. 15. v. 45. id est, corpore constantem, quod omni edenti, bidentique necessitate careret: sed creauit *ψυχικόν*, siue *εἰς ψυχὴν ζῶσαν*, id est animal viuens & *χοικόν*, id est, qui quanquam Dei imaginem portaret, humano tamen more viueret, *εὐνε*, in quo terrestris & infirmæ naturæ quædam vestigia inerant, non autem planè perfectæ, & quæ optimum illum, quem postea consequi poterat, statum haberet. Ergo fecit hominem huiusmodi Deus, qui cibus ali & sustentari haberet necesse, qui gignere sibi simile deberet: qui posset crescere, & ea quæ delectarent, quæ offenderent, sensu percipere & distinguere. Ex quo euenit, ut multa in hoc viuendi genere infint, quæ cum plantis homini communia obseruantur, qualis vita ipsa naturalis, & quæ ad eam conseruandam sunt planè necessaria, veluti cibos concoquere, concoctos & in tenuem liquorem conuersos per singula membra diffundere, denique ea omnia facere, quæ vegetantis animæ facultatis propria esse Medici demonstrant. Sed & multa quoque in eodem  
vita

vitz genere homini cum brutis animantibus communia animaduerti possunt, quale est sentire, id est, aliquid corporeis quibusdam partibus percipere, quibus, tanquam ministris ad animum sua obiecta deferentibus, animus ipse quid illud sit, quod exterius sensibus obiicitur, & agnoscit, & ab aliis rebus distinguit: quale etiam sese loco mouere & agitare: quale etiam appetere. Denique vt quæ sint illa omnia facilius & breuius intelligantur, afferam illud quod alij ex Aristotele & profanis scriptoribus sumunt: ego verò à Christiano authore Bernardo habere malo, cum pulcherrimè & plenissimè idem ipsum ab eo dicatur. Quatuor igitur (inquit Bernardus libro De gratia & libero arbitrio) in vniuersum obseruari in homine tanquam præcipuæ eius actiones possunt, quæ illi insunt, & quarum vnaquæque ab alia & vi, & nomine, & operatione secernitur. Nempe Vita, Sensus, Appetitus, & Ratio: vnde quatuor illæ operationes & fluunt & nominantur Viuere, Sentire, Appetere, & Ratiocinari. *Vita est,* (inquit idem Bernardus) *internus motus vicens tantum intrinsecus.* Siue Vita est actus corporis organici ad cibariam functionem à Deo insitus cuius hæ sunt tres potissimæ operationes atque officia, corpus alere, corpus augere, & corpus aliud sibi simile ex se propagare. Horum trium est vnum & idem principium siue causa, nempe, anima humana, quatenus vim & munus alendi corporis à Deo accepit: quæ primum quidem sese in fœtu humano exerit & profert, diuersis tamen corporis locis, & partibus, tanquã

instrumentis à Deo sibi designatis vtitur ad singulas istas actiones peragendas. Hæc vis & facultas animæ & *ἄνεσσις* dicitur & *φυσικὸν* à Medicis, quòd ab ea operationes, quæ naturales sunt, oriuntur. Et quemadmodum antea diximus, homini cum plantis tota communis est, & à Deo communicata. quanquam Varro in libro de lingua Latina virgulta viuere quidem concedit, quæ tamen animam habere negat. De qua si quis plura apud Theologos videre volet, legat pulcherrimi operis Gregorij Niss. de Opificio Dei cap. 30. item Numesium: præterea Lactant. in lib. de Opificio Dei. Hanc vitam intellexit Paulus Actor. 17. v. 28. *ἐν αὐτῷ ὄσιν*. Ac de vita quidem hæcenus. Sequitur sensus & appetitus. *Sensus est* (ait Bernardus) *vitalis in corpore motus vigenz extrinsecus. Appetitus autem naturalis vis in animante mouendis auidè sensibus attributa.* Alij vero sic definiunt vtrumq; vt sit sensus quidè rei alicuius extra nos positæ perceptio, quæ aliqua corporis nostri parte fit. Appetitus autem alicuius rei extra nos positæ persequutio vel fuga ex sensuum iudicio excitata. Vtraq; verò hæc actio tam arcto inter se vinculo cõiuncta est, vt vtraque sit propria solius atq; adèdò omnis animalis: neq; sine sensu appetitus, qualem quidem hîc definimus, esse possit, neque sine appetitu sensus: quàmquam ordine, & nascendi, & agendi, prior apparet in nobis sensus, id est, ipsius rei perceptio agnitioque: quàm appetitus & persequutio. Vtrique autem huic actioni subseruit loci mutandi vis, vt ad ea consequenda progrediamur, quæ

quæ profunt: euitemus autem & fugiamus quæ sunt contraria, & nobis noxia, quæ quanquam non inest omnibus in vniuersum animalibus, veluti ostreis, & polypo: ijs tamen, quæ perfectè animalia dicuntur, semper adiuncta cernitur. Appellatur verò vulgò hæc locomotiuæ facultas. Tunc vero harum hominis actionum vnum est quoque & idē in homine principium, atque etiã illud ipsum, quod superiorum, & earū, quæ sunt nobis cum plâtis cōmunes, causam esse supra diximus: Nimirum est anima ipsa humana, quatenus Deus voluit hominem rerū sibi commodarum & noxiarum discrimen & vsum agnoscere. Nec modò in homine, sed in brutis ipsis animantibus illæ insunt ab anima, qualem illis Deus dedit, emanantes. Vnde hæ actiones sunt homini cum brutis pecudibus communes, quæ tamē in homine citra præscriptum rationis fieri nō debēt, ne sit in edendo, bibēdo, gignendo, ceterisq; similibus, vel pecus vel pecude deterior homo, si in ijs peragēdis ratione non vtatur. Rectè igitur Tull. lib. i. de Offic. *Principio generi animantium omni est (ait) à natura tributū vt se vitā, corpusque tueatur, declinetque ea, que nocitura videantur: omniaque quæcumque ad viuendum sunt necessaria, inquirat & paret, vt pastum, volatibula, vt alia eiusdem generis.* Nam quò est animantium quàm plantarum vitæ genus nobilius & excellentius: sic pluribus atque etiam maioribus eget tum facultatibus in anima, tum instrumentis in corpore: pluraque etiam sunt, à quibus animantia possunt lædi. Quæ vt facillimè animalia, vel persequerentur vel declinarent, pri-



mum illis sensum indidit Dominus. Sensus autem vis à Deo concessa, in ijs ipsis excitat & mouet appetitum: appetitus autem vehemens illa loco ciet & propellit, vt quærant quæ tanquam sibi commoda vident fore: fugiant, quæ tanquam sibi noxia auersantur. Inde illud est vulgare, Animali data est motio propter sensum, vt quod appeterent adipiscerentur: quod nollent, declinarent. Ex quo fit, vt vna illa, quæ inest in animante, anima plures *δυνάμεις* à Deo concessas habeat, pluræque in corpore ipso loca & plura membra distincta, tanquam propria & separata ad singulas istas actiones peragendas instrumenta. Quod verum esse & Medici copiosè docent, & Gregorius Nyssc. libro de Opificio hominis cap. 30. & Lactant. Hæ verò tres actiones vno hoc verbo *κινεῖσθαι* à Paulo breuiter videntur comprehensæ, Actor. 17. v. 28. & in Epistola ad Hebr. cap. 3. v. 14. obscurè significatæ. Cæterum hæ tres sæpe non omnes insunt, quemadmodum diximus, in omnibus animalibus, sed ex his duæ tantum in vniuerso animantium genere, nimirum sensus & appetitus. Nullum est enim quod verè animal dici debeat, in quo sensus & appetitus iste non insit, quanuis nec sensus ipsos, qui quinque sunt, omnes semper in quoque animantium genere vel indiuiduo deprehendamus, quod & Aristot. & ex Aristotele A. Gellius tum libro 7. capite 6. tum libro 19. cap. 2. obseruauit. Nam & talparum vniuersum genus cæcum esse videmus: & quædam animantia nō audire naturales historici tradunt. Quæ cum sint

sint

sint à nobis explicata, quod sit harū actionum, quæ sunt cum plantis & cum brutis animalibus homini cōmunes, genus intelligimus. Longior enim earum rerum tractatio partim ad Physicos: partim ad Medicos pertinet. Restat, vt de iis agamus, quæ sunt actiones solius hominis propriæ.



## CAP. VI.

Quæ actiones solius hominis  
sunt propriæ.



**A**CTIONES igitur solius hominis propriæ sunt eæ, quæ sunt operationes animæ hominis, quatenus illa à Deo ratione prædita est, habetque præter reliquas mūdi huius creaturas aliquid excellēs & eximiū, in quo diuinæ illius & excellentissimæ imaginis, ad quam primus homo conditus erat, supersunt reliquæ, tanquam pretiosæ quædam magni nostri naufragij tabulæ. Itaque hæ sunt solius hominis in hoc inferiori mundo propriæ ab animo ipso humano immediatè, vt ita loquar, emanantes actiones: non autem illi cum brutis animalibus communes, quia solus homo ratione vitur inter omnes huius mundi creaturas. Nec sane Lactan. sententia, quam Galeno, Plutarcho, & aliis quibusdam summis Philosophis probatur: nobis tamē, aut, vt spero, vllis Christianis vera videri potest, qui rationem primū vniuersis animalibus à Deo datam esse, atque etiam hodie inesse scribit